

DISTINCTIO XVIII

Tertiae particulae principalis tractatus de processione temporali Spiritus Sancti distincta et facilis subdivisio, in qua de proprietate Spiritus Sancti importata sub nomine dati sive doni sedulo pertractatur.

PRAETEREA DILIGENTER etc. Postquam Magister tractavit de modo temporalis processionis ipsius Spiritus Sancti, in hac 18. distinctione tractat de proprietate ipsius Spiritus Sancti signata sub nomine dati sive doni. Et potest breviter ista distinctio dividi in quinque partes, secundum quod Magister circa hoc nomen donum prout convenit Spiritui Sancto movet quinque quaestiones. Secunda ibi, 'sed quaeritur cui donabilis'. Tertia ibi, 'hic oritur quaestio'. Quarta ibi, 'hic quaeritur utrum filius'. Quinta ibi, 'post haec quaeritur utrum' etc. Prima dividitur in tres, quia primo arguendo ad utranque partem movet quaestionem, secundo circa notam quaestionem ponit suam determinationem, et tertio suae determinationi adiungit probationem. Secunda ibi, 'ad quod dicimus'. Tertia ibi, 'non ergo Spiritus Sanctus'. Similiter quaestio secunda dividitur in tres partes, nam primo magister praemittit titulum quaestionis, secundo tangit materiam solutionis, et tertio subiungit quoddam notabile ex praedictis. Secunda ibi, 'ad quod dicimus'. Tertia ibi, 'et notandum est'. Etiam tertia quaestio dividitur in tres partes, secundum quod primo movetur quaestio, secundo additur responsio et tertio ex praedictis quasi correlarie multiplex infertur illatio. Secunda ibi, 'ad hoc breviter respondemus'. Tertia ibi, 'ecce his verbis'. Et haec in quattuor, secundum quod inferuntur quattuor correlaria. Secunda ibi, 'ex supradictis'. Tertia ibi, 'et secundum hoc' etc. Quarta ibi, 'itaque et Spiritus Sanctus'. Quarta quaestio similiter dividitur in duas partes, nam primo proponit quaestionem, secundo annectit responsionem. Responsio incipit ibi, 'Ad quod dicimus, quod filius' etc. Ultima quaestio dividitur in duas partes, secundum quod primo movetur quaestio. Secundo in futurum differtur eius responsio. Secunda ibi, 'huius quaestionis determinationem'. Circa hanc distinctionem quaero.

[188]

Quaestio I

An donum in divinis notionaliter dicatur?

Veritas fatetur, id nomen doni in divinis non nisi notionaliter sumi. Unde, cum Spiritus Sanctus sit eo donum, quo Spiritus, non tamen eo Deus, quo donum dici potest.

UTRUM HOC NOMEN 'donum' in divinis dicatur notionaliter? Et videtur quod non, quia omne nomen notionale importat distinctionem, sed in hoc nomine donum non est distinctio, quia tota trinitas et quaelibet persona potest seipsam dare, ergo etc. CONTRA 4. De Trinitate¹ ait Augustinus Spiritum Sanctum donum esse est Spiritum Sanctum a Patre procedere, sed processio est nomen personale sive notionale, ergo etc. Hic breviter sunt quattuor videnda. Primo de hoc, quod quaeritur. Secundo, utrum soli Spiritui Sancto conveniat hoc nomen 'donum'. Tertio, utrum Spiritus Sanctus sit eo donum quo Spiritus. Quarto, utrum sit eo donum quo Deus.

QUANTUM AD PRIMUM, utrum hoc nomen 'donum' in divinis dicatur notionaliter? Dicendum quod, sicut verbum secundum suam propriam rationem dat intelligere processum a

¹Cap.20 tom. 3

proferente, ita donum dat intelligere processum a donante, sed processus convenit personae et non essentiae, ideo tam verbum quam donum in divinis est personale seu notionale, et non essentiale. Propter quod Augustinus 4. De Trinitate ait², quod Spiritum Sanctum donum esse est a patre procedere. Nomen tamen dati essentialiter sumitur, quia convenit Spiritui Sancto ex tempore. Unde ait Augustinus 5. De Trinitate³, Spiritum Sanctum ab aeterno fuisse donum, sed ex tempore fuisse datum.

QUANTUM AD SECUNDUM articulum, utrum soli Spiritui Sancto conveniat hoc nomen donum? Dicendum quod donum tripliciter differt a dato. Nam donum est donatio libera, ex qua non expectatur aliqua re donatio, ut patet I. Ethicorum. Ex quo patet quod donum ratione suae significationis addit aliquid supra datum. Secundo differt in modo significandi, quia donum dicitur quasi ab aptitudine, ut detur, sed datum dicitur ab actu donationis. Tertio differt ratio significationis, quia donum cum sit nomen significat sine tempore, sed datum cum sit participium, vel si nominaliter sumitur quasi pro nomine verbali tenetur, ideo significat cum tempore. Ex quibus patet quod donum dicit rem emanantem per modum libertatis sine tempore in aptitudine ut detur. Cum igitur Spiritus Sanctus procedat a Patre et Filio per modum amoris, et libere sine tempore in aptitudine naturali ut detur in tempore. Cum etiam quia amor principaliter habet rationem doni, alia autem ex consequenti, inquantum participant rationem amoris, ideo Spiritus Sanctus proprie donum dicitur. Propter quod ait Augustinus 15. De Trinitate⁴, ‘Non frustra in hac trinitate non dicitur verbum Dei, nisi filius, nec dicitur donum Dei, nisi Spiritus Sanctus’.

QUANTUM AD TERTIUM principale, utrum Spiritus Sanctus sit eo donum quo Spiritus? Dicendum quod Spiritus Sanctus eadem proprietate est donum qua constituitur in esse personali, quia Beatus Augustinus 4. De Trinitate dicit⁵ quod ‘sicut natum esse est filium a patre esse, ita Spiritum Sanctum donum Dei esse est a Patre et Filio procedere, sed filium natum esse est sua personalis proprietas, ergo Spiritum Sanctum donum Dei esse’ etc. SED CONTRA illud arguit quidam sic. Illud, quod convenit Spiritui Sancto in ordine ad creaturam non potest esse sua proprietas personalis, sed esse donum convenit Spiritui Sancto in ordine ad creaturam, ergo etc. Maior patet, quia proprietas cuiuslibet divinae personae est prior omni creatura. Minor etiam patet, quia ex hoc Spiritus Sanctus dicitur donum, quia datur nobis. 2. Praeterea, omnis relatio Dei ad creaturam est relatio rationis, sed proprietas in divinis est relatio realis, cum igitur hoc nomen ‘donum’ conveniat Spiritui Sancto in ordine ad creaturas, ergo etc. 3. Praeterea, una persona divina non constituitur spiratione passiva, ergo esse donum non erit eius personalis proprietas, ergo etc. SED ILLA sunt manifeste contra intentionem Augustini prout magister eum adducit in illa 18. distinctione in littera. AD PRIMUM dicendum quod minor non est usquequaque vera, quia si nulla creatura esset, nec unquam fieret, adhuc Spiritus Sanctus esset donum, eo quod esset amor personaliter productus in divinis, amor autem est donum primum omnium donorum, primum enim quod libere damus est amor noster, et illo per consequens damus omne, quod libere damus. Ad secundum patet per idem. Ad tertium dicendum quod, sicut verbatio in divinis est idem quod generatio, sic donatio intrinsece in divinis idem est quod spiratio, et per consequens esse donum et esse spiratum idem sunt.

QUANTUM AD QUARTUM. Utrum Spiritus Sanctus sit eo donum quo Deus? Dicit doctor noster hac distinctione quod, cum quaelibet divina persona sit omnino simplex, ideo illud, quo Spiritus Sanctus est Deus, et illud quo est donum non possunt realiter differre; differunt tamen

²ibidem

³Cap. 15 tom. 3

⁴Cap. 17 tom. 3

⁵Cap. 18 tom. 3

formaliter, quia sicut Pater non est formaliter eo Pater, quo Deus; nam formaliter est Deus deitate, et pater paternitate; sic Spiritus Sanctus est Deus per divinam essentiam et naturam formaliter, donum autem est proprietate relativa. Et declarat se exemplariter dicens quod, sicut aliquis currens existens lassus et calidus, alio est formaliter lassus, et alio formaliter calidus. Quia lassus est lassitudine et calidus calore, originaliter tamen uno et eodem recipit utrumque, videlicet ipso cursu. Ita Spiritus Sanctus eadem sua processione accipit quod sit Deus et quod sit donum quam vis formaliter sit proprietate donum et natura Deus.

SED QUAMVIS a nullo adversariorum haec dicta doctoris contra alia sua dicta ducantur, tamen satis apparenter videntur repugnare, cum ipse undique in divinis neget esse differentiam formalem. HUIC AUTEM obiectioni de facili possumus respondere, dicentes quod doctor hic sumit differentiam formalem pro ea differentia, quae est secundum formalem rationem, et talem non negat inter relationem et fundamentum etiam in divinis, quamvis eam neget inter absoluta. AD ARGUMENTUM principale dicendum quod donum dupliciter ad praesens dici potest. Uno modo omne illud, quod est donabile, vel dari potest, sive a seipso sive ab alio, et sic dicitur essentialiter in divinis, quia convenit omnibus tribus. Nam pater potest dare filium, et pater et filius et Spiritum Sanctum; et pater seipsum; potest etiam quaelibet persona divina dare seipsam. Alio modo dicitur donum illud, quod ex proprietate suae originis accipit quod sit donabile. Et hoc nomen ‘donum’ dicitur notionaliter in divinis, eo quod soli Spiritui Sancto conveniat, cui proprium est procedere per modum amoris.